

5+6/90

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMXC

VARIVS
R MOR VARIVS I
R MOR VARIVS I
R MOR VARIVS I

R MOR VARIVS

R MOR VARIVS
R MOR VARIVS
R MOR VARIVS

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TVRICENSI in aedibus AKAD is editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	öS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TVRICENSIS unter dem Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	öS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich


Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri haec legentes!

Hoc anno ante dies Natales hiems tandem nostras regiones invasit et abundantia nivis omnia obtexit. Non dubito, quin his quoque avibus, quos in imagine videtis, frigori, nivi glacieique consuetis (sunt sphenisci; Theodisce 'Pinguine'



dicimus) magnum gaudium attulerit. Utique vos salutant et - etiam nomine collegii redactorum RVMORIS VARIII - fortunatum, faustum felicemque annum novum vobis exoptant!

Ut animadvertistis, iterum numeri quintus et sextus in uno fasciculo apparent et vobis duplicem multitudinem rerum le-gendarum (et gaudii - ut speramus! -) afferent!

Valete!

D. Weissmann
Daniel Weissmann



De confusione quadam linguistica

Homo, quamquam animal esse rationale dicitur, rationes suas viis saepe incertissimis excogitare solet, praecipue cum agitur de rebus oeconomicis, politicis, philosophicis.....- et linguisticis.

Cum rationes illae lingua quavis exponi et transmitti debent, linguae imperfectiones ratiocinationibus pravis favere possunt et, reciproce, ratiocinationum pravaram inveteratio, linguam, qua proferuntur, incertiorem facit.

Exemplum typicum istius phaenomeni linguistici proponemus et nonnulla eius consequentia, quae ad linguarum nostrarum historiam pertineant, adumbrabimus.

Orationis depravatae causa frequentissima est confusio partis rei universae cum re ipsa universa. Sint, exempli gratia, illae duae propositiones:

1. Socrates est Graecus
2. Socrates est philosophus.

In oratione sincera, prior significat:

Socrates pars est, seu "elementum" S rei universae G, qua omnes **Graeci** continentur;


et similiter altera:

Socrates pars est, seu "elementum" S rei universae P, qua omnes **philosophi** continentur.

Quae mathematica quadam notatione ita exprimuntur:

$S \in G$ et $S \in P$

vel figura ita delineata effingi possunt:



At ambae propositiones in unam symbolice ita resumuntur:

$S \in (G \cap P)$ id est

Socrates includitur in "intersectione" universi G et universi P.

Talibus symbolis, propositionum ambarum consequentia sunt clarissima: in "intersectione" $G \cap P$, i. e. in parte communi amborum annulorum G et P, locus est ad alios philosophos Graecos continendos, et in amborum annulorum partibus quae non sunt communes, locus est aut ad Graecos, qui non sunt philosophi, aut ad philosophos, qui non sunt Graeci, continendos.

Si autem, pravo loquendi modo confusio partis cum re ipsa universa ita introducitur, ut auditor intellegat $S \equiv G$, i. e. S idem est ac G, et similiter $S \equiv P$, conclusio falsissima deduci potest: $G \equiv P$, id est: 'omnes Graeci sunt philosophi' vel 'omnes philosophi sunt Graeci'!

In exemplo tamen nostro simplicissimo, huius falsae conclusionis probabilitas minima esse videtur, quia sensus communis talibus conclusionibus repugnat, utpote quae evidenter absurdae sint. Sin autem de propositionibus agitur intricatioribus et incertioribus, res multo aliter se habent. Orationes enim politicae, oeconomicae vel etiam philosophicae omnium generum confusionibus saepe sunt refertae, non solum partium cum rebus universis, sicut commodi alicuius factionis politicae vel oeconomicae cum bono publico, sed etiam causarum primordialium cum effectibus suis secunda-

riis. Ita fit, ut remedia a politicis vel oeconomicis hominibus adversum malum quoddam proposita saepe sunt praviora quam malum ipsum.

Sed, politicis et oeconomicis remissis, ad linguistica redeamus!

In omnibus paene linguis (1) ambiguitas, quae in verbi **esse** sensu inest, isti oratoriae depravationi maxime favet. Eodem enim utimur verbo ad duas notiones omnino differentes enuntiandas:

1. Elementum X pars est rei cuiusdam universae, sicut in propositione: 'Socrates est Graecus' supra.

2. Elementum Y idem est ac elementum Z, sicut in propositione: 'C. Iulius Caesar est scriptor belli Gallici'.

In casu priore non excluditur alios adesse **Graecos** quam **Socrates**, in altero autem **C. Iulius Caesar** et **scriptor Belli Gallici** eadem sunt persona (2).

Quamobrem, cum audimus sententiam, quae verbum 'esse' - vel verbum aliud, quod diversis modis intellegi potest, - continet, et quae in uno tantum huius verbi sensu vera est, si eam in altero sensu intellegimus, in falsam conclusionem inducimur.

Praeterea, cum de linguistica agitur, alia adest confusio- nis causa: Lingua non est res perfecte discrebilis. Omnis enim homo lingua sua propria utitur quae, vocabulorum copia, verborum sensu accepto, pronuntiationis syntaxisque consuetudinibus, a vicinorum suorum linguis plus minus differt. Itaque semper dubitare licet, utrum homines duo, aliquantulo spatio aut tempore separati, eadem lingua an linguis differentibus utantur!

Inde fit, ut multa falsa dici possint de linguis, quae vicissim in area, quam nunc Francogalliam vocamus, olim usitatae sint. Pro commoditate - res enim est intricatissima - illos errores in duas classes dividemus:

Primam classem vocabimus "LATINOMANIAM". Oritur ex interpretatione abusiva propositionis: 'Lingua Francogallica est lingua Romanica'. Verum, quaecumque sit linguae Francogallicae definitio eiusque unitas aut diversitas, illa tantum una est e variis linguis, quae magis cum lingua Latina coniunguntur quam cum linguis Celticis, Germanicis vel ceteris. At nihilominus illa lingua "Romanica" nonnulla

continet verba (Celtica, Germanica, etc.), quae non sunt origine Latina. Itaque dubitare licet an, Vercintorige victo, Gallia tota, sicut contendit "Latinomania", subito et medullitus Latina facta sit!

Altera classis, quam "CELTOMANIAM" (3) vocabimus, errori praecedenti, haud sine ulla causa, tamen improbe repugnat. At sententia quadam abusiva corroboratur, quae olim in omnibus scholis publicis Francogallicis - etiam in Africa et in Asia! - docebatur: 'Proavi nostri Galli vocabantur...'

Quae enuntiatio homines credulos in errores multo crassiores quam praecedentes inducit. Verum, 'proavorum nostrorum' pars quaedam potuit esse Gallica. Sed qui fuerunt illi Galli?

Pars scilicet gentium Celticarum, quae per varias regiones olim transierunt, neque omnes sedem suam ultimam in Gallia elegerunt. Sed, tum ante eos cum post eos, nonne et multae aliae gentes Galliam invaserunt, neque ab ea semper abierunt?

Praeterea, si C. Iulius Caesar BELLUM GALLICUM non scripsisset, quo in documento populos fortasse valde differentes eodem nomine vocavit, quis nunc de 'proavis nostris Gallicis' loqueretur?

Ista Galliae unitae falsa conceptio mytho "Asterigiano" (ASTERIX GALLUS, ITER GALLICUM, etc.) vivide illustratur - non sine aliqua suavi ironia cum a RUBRICASTELLANO (Graf Heinz von Rothenburg!) in linguam Latinam illi libelli lepidissime conversi sint (4).

Minima vera est causa cur Gallia antiqua eosdem habuerit mores, eandem lingua unitatem (aut varietatem), eosdem limites oeconomico-politicos ac Francogallia hodierna: Nonne Regnum Francogallicum, ante eversionem anni 1789¹, multoque magis ante Reges Borbonicos et Valenses, limitibus, moribus, linguarumque provincialium diversitate, a V^a Republica hodierna iam valde differebat?

Quamquam media audiovisiva nostro tempore omnia in eandem copulam - licet pessimam! - coniciunt, differentiae linguisticae locales etiamnunc haud omnino sunt extinctae, et linguarum vernacularum limites a limitibus politicis adhuc differunt: exempli gratia, Pyrenaei montes nec linguam Cataloniensem nec linguam Cantabricam (5) a linguis, quae

Francogallica et Hispanica dicuntur, separant.

Temporibus antiquis, cum mediorum audiovisificorum vel preli deesset vis coadunatoria, verisimilius credi potest linguarum limites etiam minus fuisse discrebiles quam hodie, pluresque adfuisse dialectos, vel parum inter se differentes, paucissimas tandem floruisse linguas, sicut Graecam et Latinam, vastissimis in areis usitatas.

At fortasse, si lingua Latina, licet Romana moderatione et scripturae divulgatione adiuvantibus, in multis Europae provinciis floruit - et adhuc viget, non solum per linguas et dialectos Romanicas, sed etiam in propria, sicut hodie fit apud nos - , nonne id facilius fieri potuit, quia illarum provinciarum dialecti vernaculae, iam ante dominationem Romanam, multo propiores erant linguae Latinae quam nostro tempore earundem regionum sermones linguae Italicae hodiernae (6)?

Quae cum ita sint, in inquisitionibus nostris modestissimi esse debemus, quia de linguis Graeca et Latina non omnia scimus, et de ceteris Europae antiquae linguis vel dialectis multo plura etiam ignoramus!

Illae tamen inquisitiones nullo modo sunt inutiles, quia ad fontes cultus humani nostri paulatim nos ducere possunt. At efficaciores erunt, si areas nostras inquisitorias recte elegendus, id est, mea quidem sententia, si ea, quae ex linguarum vernacularum thesauro exhauriri possunt, ratione quaeremus et cum linguarum classicarum monumento insuperabili sine praeiudicio conferemus.

ADNOTATIONES

1. Non desunt tamen linguae, in quibus verbum 'esse' duas habet formas, e. g. in Hispanica: 'ser', quod significat 'esse' propter naturam suam vel permanere in statu quodam diuturno, et 'estar', id est 'esse' propter casum vel per tempus breve. Similiter, multa verba Russica duas habent formas, perfectivam et imperfectivam. Illa formarum dualitas confusiones in tempore, sed non in spatio impedire potest.
2. Utrum propositiones, sicut 'Socrates est Graecus' vel 'C. Iulius Caesar est scriptor Belli Gallici' verae sint

an falsae, alia est quaestio. Hic tantum oportet, ut recte ratiocinemur, etiam de propositionibus falsis!

3. "Celtomania" iam facete descripta est in libro "BOUVARD ET PECUCHET", quem Gustavus FLAUBERT, paulo ante mortem suam (1880), de stupiditate humana scribere incepit: "Alors Bouvard et Pécuchet se plongèrent dans l'archéologie Celtique. D'après cette science, les anciens Gaulois, nos aïeux... apprirent la métaphysique aux Grecs... et, aux Romains, l'étamage du cuivre et le commerce des jambons..." (C. IV, pp. 134-135, in ed. Garnier-Flammarion, Parisiis, 1966). Aliud exemplum mirificum "Celtomaniae" simul ac multarum confusionum, est liber Michaëlis HONNORAT, qui "LA LANGUE GAULOISE RESSUSCITEE" inscribitur (Ed. Librairie Ernest Leroux, Parisiis 1935). Auctor ille, qui tum Romanitatem cum Frederici Mistral Latinitatem maxime odit, multarum linguarum lixica summa confusione evolvendo, ea portenta "doctissime" probare contendit, quae Bouvard et Pécuchet tantum adumbraverunt, e. g. omnes linguas (Hebraica, Aegyptiaca, Cantabrica, Fennica, etc. inclusis) a lingua Gallica originem ducere!
4. Gosciny-Uderzo, ASTERIX GALLUS, FALX AUREA, ITER GALLICUM, etc. In Latinum convertit RUBRICASTELLANUS. Ed. DARGAUD, Paris / Delta Verlag, Postfach 1215 D-7000 STUTTGART.
5. Lingua Cataloniensis una est e multis linguis Romanicis: In Pyrenaeis Orientalibus et in Catalonia usitatur. Lingua autem Cantabrica, in Pyrenaeis Atlanticis et in parte vicina paeninsulae Ibericae usitata, non est lingua Indo-Europaea. Secundum amicum nostrum Henricum GUITER, Felibriticii Maioralem, vestigium est antiquissimum linguae, quae ante invasiones Indo-Europaeas - verisimiliter in illa regione Italo-Celticas - usitata erat.
6. In libro "LA LANGUE GAULOISE" auctore Georgio DOTTIN (Ed. C. KLINCKSIECK, Parisiis, 1918), qui multo gravior esse videtur quam ille paene eiusdem nominis, qui in adnotatione 3 citatus est, mirae similitudines inter

linguas Celticas antiquas et linguam Latinam - praecipue inter earum declinationes - satis lucide monstrantur. At vehiculorum nomina ('raeda', 'petoritum' , etc.) paene eadem sunt in his variis linguis. Sed linguae Celticae et linguae Romanicae, quae per millenia diversimodo evolverunt, inter se multo magis nunc differre videntur quam olim.

Clemens Desessard

(Feriae Latinae Nicenses IVae, die 23° m. Aug. 1990)



MORTES

Leonard Bernstein

Die quarto et decimo mensis Octobris anni millesimi nongentesimi nonagesimi in urbe New York Leonard Bernstein, ille in toto mundo celeberrimus clarissimusque musicus, unus ex excellentissimis moderatoribus musicorum (1) vicesimi saeculi, septuaginto duos annos natus obiit.

Musicus universalis multiplicisque ingenii fuit: Moderator musicorum, componista, clavicen (2), paedagogus et praeceptor, auctor librorum de musica.



Natus est die vicesimo quinto mensis Augusti anni millesimi nongentesimi duodevicesimi in urbe Lawrence (Massachusetts). Parentes eius Iudaei, pater Samuel J. Bernstein anno millesimo nongentesimo octavo, mater Jenni Resnik anno millesimo nongentesimo quinto e Russia in Americam immigraverant.

Puerilem aetatem Leonard Bernstein in urbe Boston egit, tum in universitate nomine 'Harvard' et schola 'Curtis Institute of Music' in urbe Philadelphia maximo eventu studiis rerum musicarum incubuit. Dissertationem scripsit de quaestione 'The Absorption of Race Elements into American Music'. Praeceptores eius fuerunt Sergei Kussewitzky, Fritz Reiner, Walter Piston.

Anno millesimo nongentesimo quadragesimo tertio Leonard Bernstein moderator assistens Arturi Rodzinski apud Orchestram Philharmonicam New York (New York Philharmonic Orchestra) factus est. Die quarto decimo mensis Novembris anni millesimi nongentesimi quadragesimi tertii subito maximam gloriam assecutus est, cum in urbe New York pro moderatore clarissimo Bruno Walter, qui ex improvviso morbo inciderat, concentum musicum (3) transmissione radiophonica in omnes partes Americae septentrionalis diffusum edidit. Eventus inauditus et maximae famae fuit.

Ex eo tempore Leonard Bernstein identidem moderator musicorum in publicum prodiit. Anno millesimo nongentesimo quadragesimo quinto munus moderatoris principalis apud 'New York City Orchestra' suscepit. Praeterea in urbe Tanglewood (Massachusetts) apud 'Berkshire Music Center' praeceptor musicos erudiendos curavit. Anno millesimo nongentesimo duodesagesimo successor Dimitris Mitropoulis moderationem Orchestrae Philharmonicae New York suscepit, quam duodecim annos obtinebat. Quod spatium egregium et splendidissimum, quasi 'aurea aetas', illius orchestrae habetur. Cum ea mille fere centus musicos Leonard Bernstein edidit, sive in auditorio 'Carnegie Hall' sive in 'Lincoln Center'. Tum quadraginta annos natus rebus musicis colendis Americanis summum locum assecutus est, quem numquam antea quisquam musicus in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis (USA) natus et eruditus.

Dramata musica quoque exhibuit (4) in theatris 'Metropoli-

tan Opera' New York, 'Scala' Mediolani, 'Staatsoper' Vindoboni.

Anno millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto primum cum Orchestra Philharmonica Israel lustrationem musicorum (5) per Europam suscepit. Praeterea in toto mundo innumerabiles concentus edidit.

Anno millesimo nongentesimo quinquagesimo primo Leonard Bernstein Feliciam Montealegre, actricem Chilenam, in matrimonium duxit. Natae sunt duae filiae, Jamie et Nina, et filius Alexander. Anno millesimo nongentesimo duodecesimo uxor morte ei errepta est.

In operibus musicis exhibendis Leonard Bernstein summo animi ardore et impetu egit, et hunc ardorem impetumque in animos musicorum orchestrae et auditorum transtulit. Summa intentione nixus est, ut fidelem expressionem operum musicorum efficeret, identificationem suam cum musica exhibenda assequeretur, ad intimam naturam musicae penetraret. Dixisse fertur: "Fortasse me ipsum cum modis componistarum variorum velut Mozart, Beethoven, Mahler, Strawinsky identificare possum, quia ipse componista sum variis modis utens. Cum maxima intentione alicui operi incumbo, paulatim opinio me invadit me ipsum esse eum, cuius operi studeo. Sentio quasi 'filum conectens', quo, si res optime evenit, responsa ad quaestiones difficiles et dubias accipio."

In concentibus edendis et phonodiscis imprimendis (6) Leonard Bernstein omnes fere illustres symphonias inter tempora componistarum Mozart et Strawinsky creatas exhibuit.

Clarissimae sunt interpretationes eius unicas componistarum saeculi undevicesimi exeuntis et ineuntis vicesimi velut Gustav Mahler (cuius symphonias divulgandas curavit imprimis in America, sed etiam in cetero mundo), Dmitri Schostakowitsch, Jean Sibelius, Gustav Holst. Scilicet opera Americanorum Componistarum maxime coluit velut Aaron Copland, Charles Ives, William Schuman, Samuel Barber, George Gershwin. Saepae illorum opera primum exhibuit.

Non solum moderator fuit, sed etiam ipse opera musica composuit, quorum maxime notum est illud spectaculum musicum, Anglice 'musical', cui titulus 'West Side Story' (1957). Alia opera eius sunt exempli gratia:

1942 I. symphonia, 'Jeremiah'.

1943 'Hashkivenu', secundum liturgiam Mosaicam, lingua Hebraica (Cantor, chorus mixtus, organum).

1944 'On the Town', comoedia musica.

1944 'Fancy Free', ballatio scaenica (7).

1949 II. symphonia, 'The Age of Anxiety' (Clavile, orchestra).

1950 'Yigdal', cantus Hebraicus (chorus et clavile).

'Peter Pan', musica scaenica.

1951 'Trouble in Tahiti', drama musicum.

1954 Serenata, secundum 'Symposium' Platonis (violina, orchestra fidicinum, psalterium, instrumenta percussionalia).

1956 'Candide', comoedia musica.

1963 III. symphonia, 'Kaddish'.

1965 Chichester Psalms.

1971 'Mass', missa.

1974 'Dybbuk', ballatio scaenica.

Praeterea ad pelliculam 'On the Waterfront' a Elia Kazan factam Leonard Bernstein musicam composuit anno millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto.

Numquam suam originem Iudaeam negavit et saepe operibus suis traditionis Hebraicae mentionem fecit. Terminum et seiunctionem musicae 'seriae' et musicae 'levis' (E-Musik, U-Musik) superavit et temptavit varia genera musicae 'seriae' et musicae 'Jazz', 'Pop', 'Folk' unire. "Mihi omnia genera musicae seria sunt (For me every music is serious)" dixisse fertur.

Animo vero, sincero liberalique fuit et homo magna humanitate. Vires musicae credebat et sperabat musicam omnes populos et homines uniri et placari posse. Valde ei homini sociabili placebat inter homines versari, et saepe concentibus peractis cum amicis usque multam ad noctem symposia et convivia agebat. Maxime amabilis et magnanimus post concentus orchestrae musicos et solitarios (8) amplexus est, et certe cunctos auditores vel totum mundum libentissime complexus esset.

Etiam politicis socialibusque rebus interfuit: Pro pace, pro rebus minoritatum oppressorumque, pro libertate hominum et artium magnam operam dedit. Saepae partem quaestus concentuum societati 'Amnesty International' largiebatur,

concentum pro societate 'Black Panthers', quae rebus hominum nigrorum studet, edidit, homines morbo 'AIDS' affectos largitionibus adiuvit.

Cum 'Israel Philharmonic Orchestram' vel aliquam orchestram iuvenem moderabatur, mercedem non poscebat.

Nonnullos annos ante praemium cultūs colendi (9) Foederatorum Civitatum repudiavit hoc modo demonstrans politicam culturalem Americanam sibi displicere.

Quis non memoria teneat illum concentum, quo die vicesimo quinto anni millesimi nongentesimi undenonagesimi IX. symphoniam a Ludovico van Beethoven compositam exhibuit Berolini muro diruto et in choro finali illius symphoniae verbum 'gaudium' verbo 'libertas' commutavit?

Nonnumquam Leonard Bernstein mores traditos neglexit. Hominibus mentis conservativae liberalitas eius non placuit. 'Domus alba' exempli gratia eum vitavit, ex quo ibi praeses Ronald Reagen intraverat et liberalitas cultusque abierant. Leonard Bernstein paedagogus et praeceptor quoque ingeniosus fuit. De quaestionibus musicis cum hominibus omnis generis colloqui poterat, sive in universitate acroases de quaestionibus difficillimis musicis habuit, sive in spectationibus televisificis vel ante publicum imperitum opera musica tali modo explicavit, ut quilibet comprehenderet, et ita in eis amorem musicae incendit. Imprimis cum hominibus iuvenibus sermones habuit. Curavit quoque institutiones ad moderatores moderatrices iuvenes erudiendos. Superbia vacabat dicens: "Hic sum discendi causa. Omnia, quae iuvenes doceo, ipse docendo disco."

Libros Leonard Bernstein composuit velut 'De gaudio musicae' (Freude an der Musik), 'Cognitiones' (Erkenntnisse), 'De varietate immensa musicae' (Von der unendlichen Vielfalt der Musik), 'Scripta selecta' (Ausgewählte Texte).

Studium maximum agendi et impetus Leonardum etiam maiore aetate non defecerunt, quamquam medici eum monuerant, ut sibi parceret, et ei mortem immaturam praedixerunt. Fuit homo, qui mallet summa agitatione vitam breviorē agere quam iners longam vitam trahere.

Ultimum concentum edidit in urbe Tanglewood die undevicesimo mensis Augusti anni millesimi nongentesimi nonagesimi. Etiam unam hebdomadem ante mortem, cum malae valetudinis causa non iam musicos moderari posset, dixit se nunc opera

compositurum et memorias suas scripturum.

Nunc abiit 'per iter tenebricosum illud, unde negant redire quemquam'. Singularis homo nos reliquit, qui vitam plenissimam peregit. Ipse dixisse traditur: "Fortunatus sum quinques ab illo numine superiore, quodcumque sit. Si alius essem, mihi ipsi inviderem." Memoria eius et rerum gestarum musicarum multum tempus in toto mundo remanebit.

Daniel Weissmann

VOCABULARIUM:


1 moderator musicorum	Dirigent/chef d'orchestre/conductor/director de orquesta
2 clavicen,-inis m	Pianist/pianiste/pianist/pianista
3 concentus musicus	Konzert/concert/concert/concierto
4 exhibēre 2	aufführen/exécuter/to perform / ejecutar
5 lustratio musicorum	Tournee/tournée/tour/gira
6 phonodiscis imprimere	Schallplatten aufnehmen/enregistrer sur disques/make recordings/grabar en discos
7 ballatio scaenica	Ballet/ballet/ballet/ballet
8 solitarius	Solist/soliste/soloist/solista
9 praemium cultūs colendi	Kulturpreis/prix culturel/cultural award/premio cultural



Leonard Bernstein

In urbe Washington
anno 1989°





in urbe Lucerna
anno 1988°

MYTHI HELVETICI

Quia anno 1991°, lectrices lectoresque maxime honorabiles, Helvetia patria nostra septingentesimum iam anniversarium celebrabit, hoc loco nec non in nonnullis RVMORIS VARIIS numeris subsequentibus Vobis fabulas aliquas narrabo de-promptas e thesauro ingenti mythorum Helveticorum. Non modo enim Romulus Remusve, Theseus, Cyclopes, Ulixes callidis-

simus, ceterique heroes Graeci sive Romani digni sunt, de quibus narretur, sed etiam mulieres virique eximii patriae nostrae atque monstra lemuresque, quibus regiones nostrae temoribus pristinis abundasse dicuntur. Ducimini ergo, lectores carissimi, in phantasmatum orbem Helveticorum, horrore simul imbuimini ac gaudio deliciisque!

De Monte Fracto sive de Pontio Pilato

Multi quotannis peregrinatores sive turistae, ut recentiore utar vocabulo, montem illum celeberrimum prope Lucernam media fere in Helvetia situm ascendere solent aut pedibus se per horas trahentes plurimas aut commodiore modo funivia vehentes, quae viatores Alpnachstadio (1) brevi tempore in montis culmen portat. Nomen montis illius vulgo est "Pilatus", sed in textibus veteribus nec non in mappis geographicis "Mons Fractus" appellatur, quia summi montis saxa rupesque tam arduae acutaeque sunt, ut fractae esse videantur. Unde ergo nomen proconsulis illius, qui Iesum Christum capitis damnaverit, accepit? Legamus una mythum Helveticum de Monte Fracto sive de Pontio Pilato!

Tiberius imperator Romanus lepra, morbo gravissimo neque sanabili, tantopere aegrotabat, ut toto in imperio medicos peritissimos quaeri iubet. Sed - pro dolor! - ne Graeci quidem medici remedium habebant, quo sanaretur. Tum Hierosolymis in provincia Iudaeorum medicum esse audivit omnium optimum, qui etiam mortuos in vitam revocare posset. Subito Albanum servum fidissimum Hierosolyma misit, qui medicum illum quaesitaret et statim Romam duceret. Pilatus autem, proconsul Iudaeae, cum ab Albano interrogatus esset, num medicum illum celeberrimum novisset, perterritus respondit se numquam aliquid de eo audivisse. Maesto animo servus iam Romam reversurus erat, cum forte quadam Veronicae obviam iit, virgini illi, quae Christo crucem per vias ferenti sudarium porrexerat. Quae Albano omnia narravit de iudicio falso atque de morte Iesu Christi. De resurrectione eius adhuc nihil scivit. Albanus tunc Veronicam Romam duxit. Ibi communiter Tiberio sudarium imposuerunt, qui ab hac hora statim morbo doloribusque erat liberatus.

Maximo autem furore capiebatur imperator in Pontium Pilatum et "Iudicem istum", exclamavit, "falsidicum ante me trahite, ut ipse accusetur et damnetur!" Paulo post iam Pilatus

vi Hierosolymis Romam ductus in arcem imperatoriam intra-
vit, sed ecce, Tiberius eum non furens neque saeviens, sed
quasi amicum amplectens salutavit votisque optimis dictis
aulam relinquere sivit. Cum primum autem domo egressus est,
Tiberii furor iterum ardebat. Iterum ergo Pilatus ante
imperatorem ductus est, sed iterum a Tiberio tam familiari-
ter salutatus est, ut omnes circumstantes maximopere mira-
rentur nescientes, utrum dominum suum altissimum mente
captum haberent an non. Qui, cum Pilatus domum reliquisset,
subito denuo furore accensus "Cur, ire sinitis hominem istum
scelestissimum?" exclamavit. "Quem statim reportate!" Sic
factum est, ut Pilatus rursus in arcem duceretur, ubi a
Tiberio sereno vultu mitique voce salutatus est. Egressus
autem a nonnullis servis Albano duce vestimentis exutus
est. Nunc omnes videre poterant eum sub toga vestem
salvatoris gerere atque intellegebant id miraculo quodam
effecisse, ut imperator Pilato pepercisset.

Tiberio praesente Pilatus veste sancta privatus est et
timens, crucifigeretur vel leonibus proiceretur, in carcere
sibi mortem dedit. Corpus eius in Tiberim fluvium iactatum
est, sed abhinc Romani vivere vix poterant, quod semper
semperque fulmina et tonitrua ingentissima cives perterre-
bant pestesque gravissimae in eos irruebant.

Qui tandem cadaver e Tiberi depromptum in Galliam tulerunt
et prope Lugdunum Rhodano fluvio iniecerunt. Ibi vero haud
minus saeviebat quam antea in imperii capite, ut Lugdunen-
ses maxime vexati crederent inferos ad se venisse. Qui bono
consilio expertes tandem Pilati corpus Lousannam transpor-
taverunt, sed cum die noctuque procellae horribilissimae
circum oppidum illud furerent, homines decreverunt spiritum
immundum in regionem eremam mitti. Pilati corpus igitur in
Montem Fractum traxerunt ibique in lacum parvum montanum
iactaverunt.


In hoc monte vero, quem homines abhinc Pilati montem
nominabant, ferius quam antea agitabat. Ex improvise aquas
lacus ita perturbabat, ut muscae culicesque sanguisugae
turmatim in pastores venatoresque irruerent. Media nocte
saepe insaniebat lacuque relicto pecus in saltus fugabat.
Primo vere in aëre cum Herode rege dimicabat labinas
nivales in eum iaciens, quae tonantes et omnia vastantes in
vallesolvebantur. Pastores et ceteri homines circum

montem habitantes culmen, quantum fieri poterat, vitabant.
Summii immo Lucernae magistratus cives montem ascendere
vetuerunt.

Multis saeculis post studiosus quidam Salamanca Lucernam
petivit, ut Helvetiam centralem nosceret. Qui cum de
tumultibus a Pilato proconsule effectis audivisset, promi-
sit se spiritum immundum verbis sacris affixurum esse, ut
nullo modo rursus lacu emergi posset. Pilatus vero ne
verbis gravissimis quidem affigi passus est, et studiosus
peregrinus iam vinci videbatur. Tunc tandem in pratum
quoddam recessit, quod "Arietis Pratum" vocabatur. Ibidem
post proelium longum atrocissimumque proconsulem in nomine
sanctae trinitatis denique plane fere vicit. Pilato abhinc
non iam licebat lacu emergi nisi solo Die Veneris Sacro
(2). Eo die quotannis emergebatur in sella proconsulari
sedens atque manus sanguinolentas lavare conans. Vae pasto-
ri vel venatori eum adspicienti! Paulo post mori debebat.
Per annum vero Pilatus non iam videbatur. Tantummodo
hominibus malum quoddam animo volventibus saepe apparuit
seu canis ingentis sive equi feri speciem gerens. Si quis
sua sponte neque causa urgente coactus lapides lacui
iniecerat, tonitrua procellasque mittebat. Hodie autem, ut
supra dixi, homines plurimi quotannis Pilati montem ascen-
dunt nullo pavore suppressi. Oculis enim incredulis phan-
tasmata non apparent!

- | | |
|----------------------|---|
| 1 Alpnachstadium,-i | Alpnachstad (Talstation der
Pilatusbahn) |
| 2 Dies Veneris Sacer | Karfreitag |

Martin Meier



De statu paradisiaco vel de aetate aurea
apud veteres Romanos

Permultis hominibus desiderium naturae incorruptae insitum est. Totius mundi convenientiam consensumque expetunt. De quodam paradiso terrestri cogitant, ubi concorditer cum natura aequalibusque vivere possint.

Aetate nostra graphea periegetica (Reisebüros) loca amoena lectissimis verbis describendo ad peregrinandum nos incitant. Litora candida, aquae purissimae, solis occasus animos commoventes promittuntur. Commentariis imagineis nobis magna exspectatio de amicitia amoreque movetur. Non solum aetate nostra, sed etiam temporibus veterum Romanorum desiderium aetatis aureae inveniri potest.

In numero poetarum, qui concordiam et pacem inter naturam hominemque praedicant, P. Ovidius Naso habetur. Metamorphoseon libro primo, versibus 89 - 112, aetas aurea describitur. Status paradisiacus hominibus datus cibi abundantia ostenditur. Natura hominibus omnes res praebet. Homo non laborat, ut cibum sibi comparet. Tellus igitur a homine aratro non vulneratur. Apud veteres Romanos tellus saepe divinum habetur. Est "Magna Mater", quae omnibus rebus abundans omnia effert. Homo igitur naturam veneratur modestumque erga naturam se praestat. Ab Ovidio poeta cibus modestus laudatur: homines arbuteos fetus, fraga montana cornaque legunt. Glans Italiae antiquae propria nominatur. Ver aeternum est et flores sine semine nati placidis auribus zephyri mulcentur.

Concordia quoque inter homines ipsos regnat: bella, leges, iudicia absunt. Flumina lactis atque nectaris homines delectant, qui peregrinationes non faciunt, cum patriae natura intacta sit. Nonne status hic cum vita otio et cibo diffluente fabularum Germanicarum comparari potest?

Barbara Maier



Aenigma

IN HOC LIBELLO RVMORIS VARIi INVENITIS, CARI AMICI, NOVAM FORMAM AENIGMATIS: 'ARBOREM' CONSTANTEM EX OCTO QVADRATIS MAGICIS SOLVENDIS, QVAE AENIGMA COMPLETVM EFFICIVNT. QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA **IDIBVS FEBRVARIIS EST!** SOLVTIONES IN LIBELLO PROXIMO DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

A

1. numerus Latinus
2. principi
3. (ei) opus est
4. cupido bibendi (Abl.)

B


1. sedes regum
2. mamma
3. placa
4. ubi deis sacrificatur (Dat. pl.)

C

1. coniunx Semiramidis reginae (Gen.)
2. iter
3. repudia!
4. furori

D

1. ventus quidam
2. precantur
3. nomen mulierum
4. coniunget
5. condicione



E

1. mater Romuli et Remi
2. stagno (Abl.)
3. pulsor
4. ventus mitis

F

1. adiuvas
2. praebere
3. deus Graecus
4. pronomen reflexivum Latinum (Acc.)

G

1. mulier e quadam gente Romae finitima
2. qui cupidine incensus est
3. margaritis praediti
4. incola terrae Europaeae
5. clarus factus est
6. pars frumenti

H

1. mons quidam flammas evomens (Dat.)
2. non adveniens
3. loca, in quibus quoddam condimentum paratur (Acc.)
4. soror
5. cupidini vel voluptati deditus (Adv.)
6. mortua
7. ad montem in Thessalia situm pertinens (Adi. f. Acc.sg.)



De ligno

Antiquis temporibus silvae circum Mare Nostrum sitae abundantiores erant quam aetate nostra. Romani ingenti copia lignorum utuntur. Domus, navigia, pontes, puteos, viarum munitiones praecipue e ligno aedificant. Ad supellectilem conficiendam, ad fenestras, scalas et portas faciendas lignum adhibetur. Instrumenta rustica et domestica velut aratrum, iugum textorum, torcula e ligno

conficiuntur. Ligulae, pocula, paterae persaepe lignea sunt. Signa maxima deorum e ligno sculpuntur. Romani variis generibus lignorum utuntur velut fago, quercu, oliva, palma, cedro, acacia, pino.

Arbores hieme caeduntur. Materia ad luxum adhibita ex Africa ad orientem spectante et ex India importatur. Materia ad usum cottidianum persaepe ex Italia exportatur. Instrumenta ad materiam dolandam saepe rudia sunt. Serra et rucina robustae non sunt. Crebro scalpitur et tornatur. Lignum vapore flectitur.

Cum multae silvae in Italia caedantur, numerus inundationum augetur. Romani autem inundationum causam ignorant. Putant enim numina aut res naturales inundationum auctores esse. Bellis Punicis, cum Romani magnam copiam lignorum ad naves exstruendas adhibebant, silvae totae in locis declivibus Apennini vel in litoribus sitae caeduntur. Eo tempore inundationes crebriores sunt. Quas Romani coercere conantur. Loca ad incolas custodiendas praeter flumina extenduntur. Alvei mutantur. Romani autem silvas in locis declivibus sitas neglegunt. Tamen viri, quibus cura silvarum est, inveniuntur. Saltuarii nominantur.

Barbara Maier



De Ulixee Dionysiaco

a) Apud Polyphemum

Polyphemus Cyclops ad obscurum pertinet. Habitat enim in spelunca plena umbrarum, sicut Pluto inter umbras habitat. Ut Pluto apud Homerum inclutus (klymenos /κλύμενος) appellatur, idem nomen Polyphemi significat. Pater autem Cyclopi illius Neptunus est, deus profundi maris obscuri et caeci.

Ulixes autem ad solem et ad calorem pertinet: Vino - dono dei Bacchi - armatus (Odyssea IX, 213-215) speluncam filii Neptuni intrat; vino victus Polyphemus oculo suo privatur.

b) Ino Leucothea

In quinto libro Odysseae Neptunus Ulixem crudelissime ventis undisque persequitur, quamquam se Ulixem omnino perdere non posse scit. Ino autem velo suo Ulixem servat. Sed quis est Ino? Illa matertera et nutrix Bacchi est (Pausanias 3, 19, 4).


c) Apud Nausicaam

Versibus V, 488 sq. Ulixes describitur ut in foliis abditus sicut lignum ardens in cinere nigro, quod semen ignis sit viro, cui nulli vicini sunt. Apud Penelopem Ulixes semetipsum ardentem nominabit (XIX, 183) usurpans nomen simile Dionysi Pyrigenis, dei a Iove fulgente nati.

Atque describitur Ulixes apud Nausicaam sicut leo. Leo autem factus est Bacchus in nave piratarum (Hymn. Hom. 7, 44).

Haec et multa alia (e.g. de lecto matrimoniali Ulixis) dignissima intellectu de Ulixes et de aliis rebus Homericis Hugo Mühlestein, professor linguae Graecae Basileae habitans in libro suo "HOMERISCHE NAMENSTUDIEN" (Athenäum 183, 1987) diligentissime acuratissimeque descripsit.

Sibylla Schuler



Supertorus: Novissimum tocamacum Europaeum

Estne R.U.N.A. (Res Volans Non Agnita)? Poteritne fusio nuclearis, qua solis et stellarum lux et energia oritur, sic apud nos gubernari, ut ad energiam electricam gignendam adhibeatur?

Centrum Nucleare Cadaraxense, circiter quadraginta chiliometra ab Aquis Sextiis Provincialibus, in provincia Narbonensi: Abhinc plus viginti annos conditum in mille et sescentas hectareas extenditur et locus est, ubi ad quinque milia administratorum rei nuclearis - inter quos etiam eos numeravi, qui administrationis curam gerunt - laborant. Hoc in centro, post septem annos laborum, nova quaedam machina excogitata est ad gasa altissima temperaturae investiganda. Haec machina, in orbem voluta, a turba plus quam trecentorum administratorum parata anni 1988¹ vere operari coepit. Eius nomen est "Supertorus" et propter eius formam et quia superconductorica ad campum electricum praecipuum gignendum in ea adhibetur. Superconductorica metalla sunt, quae, ima temperatura, fluente electrico nullam fere resistantiam opponunt. Haec eorum proprietas in panis magneticis ultissima est, quia calefactione electrica quasi omnino sublata consumptio energiae electricae valde minuitur faciliorque fit machinae usus. Praeterea supertori cyclus utilis experimentorum multo longius in tempus producitur.

Multum differt fusio nuclearis a fissione. In fissione enim atomorum gravium nuclei finduntur et energiam afferunt (ut in bombis bello mundano secundo exeunte Hirosimae et Nagasacii explosis et in reactoribus ad energiam electricam gignendam aptis), in fusione autem nucleari, duo nuclei perleves, ut hydrogenii, deuterii tritiive nuclei, inter se coniunguntur, magnam energiam emittentes. Porro, horum gasorum temperatura ultra milies centena milia graduum Celsius efferenda est. Altis temperaturis materia atomis iam non constat, quia omnia electronia a nucleis se seiungunt. Novus materiae status "plasma" nuncupatur, et multo magis quam alii status materiae - solidum, liquidum et gasosum - in rerum natura longe diffusissimus est, maxime in stellis. Fusio nuclearis modo non gubernato in

SOLUTIONES

bombis hydrogenicis adhibetur. Ut tamen gubernetur et ad ultimum energiam electricam gignat, gasum campis magneticis coercendum est. In machinis similibus Tori Cadaraxensis gasum, quippe quod circuiti secundarii stransformatorii munere fungatur, facile usque ad ducenties centena milia graduum Celsianorum calefieri potest. Ut tamen in his machinis gasum ultra calefiat calefactiones additae adhibendae sunt, quae undis electromagneticis aut atomis pervelocibus utuntur. Efficientissima machina toto orbe terrarum Europaea est: Ietum, id quod Iunctum Europaeum Tocamacum sonat (Anglice JET) nuncupatur et ad Oxonium sita est. Omnes civitates Communitatis Europaeae cum Suetia et Helvetia Ieto intersunt. Via ad fusionem gubernatam probandam nondum omnino percursa est. Civitates provecitissimae, ut Foederatae Civitates Americae, Iaponia, Canada Unioque Sovietica, aspicientes progressus Europaeos (Ietum iam septem annos operatur et optimos exitus dedit) considerant, num Europaeis se iungere possint et iam consilium studiorum ad machinam communem et maiorem construendam cum Europaeis in novis aedibus ad Monacum in Bavaria constituerunt. Pretia enim exstructionis talis machinae altissima sunt et a singulis civitatibus difficulter ferri possunt.

Supertorus (Gallice "Tore Supra"), qui societate inter Galliam et Communitatem Europaeam Cadaraxae (Gallice: Cadarache) perfectum est, ad investigandam physicam et technicam tocamacorum et praesertim calefactionum additarum propositus est. Quamquam Ieto minor, istis de causis utilissimus erit. Uni inter has calefactiones additas, id est calefactioni unda cyclotronica electronica, etiam Ignatius Fidone ille operam sociavit (eius turmae Gerardus Giruzzi, Renatus Lucas Meyer necnon scriptor huius symbolae participes sunt).

(Gratiae maximae Patri Basilio Hypeau o.s.b. propter correctiones et consilia aguntur).

Iohannes Granata, Italus




De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

primum praemium: secundum praemium: tertium praemium:

Ursula Schwenk Aehrenweg 13 5430 Wettingen	Bernhard Christen Bahnhofstr. 7 8762 Schwanden	Ursula Urner Schwandenstr. 6 8802 Kilchberg
--	--	---

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (secundum et tertium praemium), eis mox mittentur.

Rumoris Varii domus editoria



Si j'étais

Si j'étais un oiseau, je pourrais faire le tour du monde,
Si j'étais une fusée, je pourrais rendre visite à la lune,
Si j'étais un papillon, je volerais très haut,
Si j'étais un avion, je pourrais emporter tous les enfants
de la terre,
Si j'étais une cigale, je ferais de la musique tout le jour,
Si j'étais un écureuil, je sauterais de branche en branche,
Si j'étais le vent, je soufflerais fort,
Si j'étais la neige, je recouvrerais de blanc tout l'univers,
Si j'étais le soleil, je brillerais fort,
Si j'étais un pion, je ne serais rien.

Flavio Granata



Si essem

Si essem avis, alta aura gyrum possem trahere orbis,
Missile ignitum si essem, lunam visere possem,
Papilio si essem, peralte pervolitare,
Leveque si aeroplanum ibi essem, en orbis pueros omnes au
ferrem,
Si essem rubra cicada, die tota modularer,
Ramis rama, sciurus si essem, multa salirem,
Ventus si essem, caelo magno fortiter flarem,
Si essem candida nix, mundum totum facerem album.
Sol si essem flavus, splenderem valide alte.
Nil essem, si ad ludum promptus calculus essem.

Flavius Granata Gallice scripsit. Pater
eius Iohannes in Latinum convertit.

Tempus longinquum

Tempus longinquum et tempestas calida et aestus,
matutinum aestivum, nigri albique lapilli,
quos maris unda polivit, spumea placidaque unda,
lavica constanter sabula occultans retagensque.
Multicoloria saxis alta umbracula fixa,
in quorum umbris una sidunt orbiculatis
noti in turmis nonnulli propinqui et amici.
Mollis vestit fervida arena pedes iuveniles
et oculis mater quaedam usque cavet vigilatque.
Sparguntur tenui atque porosa parvuli arena,
ludentes magnis erectis arcibus atris,
incursus fictos bello arcano prohibentes:
non minus est hoc quam bellum verum metuendum.
Risus furtivus pueri longe effugientis
e manibus quae optant illum defendere semper
et pueri cruciatum flentis ne madafiat.
Sic etiam nitidum caelum est ut mirificum sit.
Splendet sol obruens aestate meridiem ubique.
Conatur natus turbatus nans mare inire.
Aetatis puerilis nunc denuo loca vidi.
Quae tam longinqua obliviscar tempora numquam.
Huc rursum multos post annos iam redii vir.
Non aderam solus. Tempus longinquum, ut recorder
de te, tantum paulum solus mansi in arena.
Collegi genua et coxim fronti applicitus sum,
extensis manibus. Sic mansi conglomeratus.
Solum me sensi studuique audire sonorem
undae iterum proprium puerilibus auribus haustum.
Saxa polita mare in cursu transportat recedens,
vix retenebantur quia posita mobili arena.
Me puerum vidi, sic clara mente recordans
limpida ut est hodierna aqua. Sed quam dure id recordor,
compulsus vos, nota diu, relinquere saxa
quae puerilem aetatem estis comitata. Lapillos
ornatos memini tunc me quaesisse colore.
Vos ita liqui, sic vos solum iterum video nunc.

Gregorius Granata Italice scripsit. Frater
eius Iohannes Granata in Latinum convertit

Tempo lontano

Tempo lontano,
giorno afoso di una mattinata d'estate,
sassi bianchi e neri
levigati dal mare,
onde spumose sulla sabbia lavica,
ombrelloni multicolori infilati tra pietra e pietra,
alla breve ombra circolare di questi
varie famiglie e conoscenti in gruppo,
sabbia scottante sui piedi giovani,
occhi vigili di una madre sempre guardinga,
bambini dispersi sulla sabbia porosa
giocano, castelli neri innalzati a difesa
di immaginari attacchi, guerre misteriose
non meno terribili delle vere,
furtivo riso del ragazzo che sfugge
dalle mani di chi lo vuol proteggere,
strazio del fanciullo che piange e che non vuol bagnarsi,
cielo di una nitidezza meravigliosa,
sole cocente di un mezzogiorno d'estate
e un bambino confuso che tenta di nuotare.
Ho rivisto i luoghi della mia fanciullezza.
Tempo lontano non mai dimenticato.
Sono tornato dopo molti anni, ormai uomo fatto.
Non ero solo,
mi sono appartato solo per un poco, per ricordarti,
tempo passato.
Ho raccolto le mie ginocchia e ho appoggiato
la fronte sulle mani distese. Così' raggomitolato
mi son sentito solo e ho cercato di risentire
quel suono particolare dell'onda udito da fanciullo.
Il risucchio trasporta nella sua corsa
i levigati sassi posati sulla mobile sabbia.
Mi sono rivisto bambino in un limpido ricordo
come l'acqua di oggi. Come è duro così' il pensare.
Sono stato costretto ad abbandonarvi,
sassi conosciuti da tempo. Ripenso alle mie mani
in cerca di pietruzze colorate. Vi ho lasciati così'
e solo ora vi rivedo.

Gregorio Granata

European Language Institute (ELI), Recanati (Italia)

LATINE LOQUI – ROMANE COQUERE LATINITATEM INTER NATIONES

*Tertia Septimana
Latina Amoeneburgensis*

moderatores : Mechtildis Hofmann et Robertus Maier
quando ? : a die 4^o usque ad diem 10^{um} mensis Augusti
anno 1991^o
ubi ? : Bildungszentrum Johannes-Haus et gymnasium
Amoeneburgense, D-3572 Amöneburg (Amoeneburgum
apud Marburgum)
pretium : 300.- DM pro victu et habitatione in domo, cui
nomen "Johannes-Haus" (maximus numerus participum
erit 30), 100.- DM pro institutione (includitur
pretium pro duabus cenis Romanis et pro
excursione)
Inscriptiones ad hanc Septimanam Latinam petuntur usque ad diem 15^{am}
mensis Iunii ad:

Robert Maier
Dresdener Straße 10
D-6070 Langen

Vos, discipuli, studentes, magistri sermonisque Latini amatores ad
secundam Septimanam Latinam Amoeneburgensem invitamus. Discite Latine
loqui. Cognoscite homines ex diversis nationibus! Studia Latina vestra
fructus ferent. Hoc inter colloquia, ludos, convivia experiemini et
exercebitis. Novum aditum ad cultum Romanum atque Europaeum demonstra-
re volumus. Sermo Latinus quam ad litteras per saecula exprimendas tam
in vita cotidiana adhuc valet. Etiam res coquinarias Romanas colemus,
ut iucundam partem vitae Romanae antiquae cognoscamus. Apportate
etiam, si vobis placet, instrumenta musica et photomachinas vestras!
Si plus scire voletis, telephonate ad:

Robert Maier, tel. 06103-71652

Vos salutant

Mechtildis Hofmann et Robertus Maier

Facete lepideque dicta

Amazona fluvio navis vectoria maxima summaque luxuria praedita submergitur. Navigantes natate incipiunt crocodilibus semper appropinquantibus. Ad quae unus ex navigantibus: "Quantam luxuriam! Immo naviculae salvatoriae (1) domo 'Lacoste' fabricatae sunt!"

"Oblivione ingentissima vexor!" - "Heus te miserum! Quid contra facis?" - "Contra quid?"

Iuvenis quidam poetam adiens interrogat: "Hodie quoque fierine potest, ut poeta dives fias?" - "Certe hoc fieri potest." - "At quo modo poeta dives fit?" - "Uxorem divitem in matrimonium ducens!"

Vates sapientissima clienti: "Mox floribus laudibusque obrueris, domine." - "Sed cur hoc fiat? Non sum homo nobilis." - "Quid vis, domine? In funeralibus talia fieri solent."

"Heri vesperi", mater aegre ferens filiae, "Paulus te sero domum comitatus est!" - "Recte quidem, matercula mea, valde sero erat. Nonne rumor te perturbavit?" - "Non rumor, sed silentium!"

Arcarius (2), dum sacculum plasticum latronis implet: "Si tu essem, domine, non tantam pecuniae summam mecum gererem. Visne computum incipere (3) apud nos?"

Vir in sede confessionali (4) sedens: "Qualia peccata", inquit, "domine reverendissime mi, confitear? Cottidie hora nona iam cubitum eo, stupra non facio, vino abstineo, non furor, ne muscis quidem aliquid mali facio, unoquoque die dominico sanctam missam adeo..." - "Bene, bene, mi fili, sed quid ages, si quando huc discesseris?" eum interruptit sacerdos carceris.

Peregrinus quidam in Scotia sive Caledonia ferias agens audivit gregem pedifollicum localem haud male ludere scire.

Tunc, cum sit maximus pedifollis ludi amator, deversorii cauponem interrogat, num sit certamen pedifollicum diebus proximis. Ad quae caupo maesto vultu: "Valde doleo, domine, sed grex noster pedifollicus non iam est. Res enim horribilissima acta est: Post ludum ultimum follis furto subductus est!"

Martin Meier

VOCABULA:

1 navicula salvatoria, -ae -ae	Rettungsboot
2 arcarius, -i	Kassier, Bankbeamter
3 computus, -i	Konto
computum incipere	ein Konto eröffnen
4 sedes confessionalis, -is -is	Beichtstuhl



De domnula quadam parumper mihi nota narrare liceat!

Quo modo vir honestus debet se gerere, cum in aëroplano cum domnula pulchra, nobili sibique ignota iuxta sedente convenit? Quod mihi accidit in aëroplano volante ab urbe Frankfurt in Sotschi oppidum, quod est ad litus orientale Ponti Euxini situm. Condicio mea erat difficilior, quod domnula illa mihi plane ignota tamen non videbatur, sed animo fingere non poteram, ubi eam vidissem. Alloqui domnulam eo minus poteram, quod continuo per fenestellam spectaret dorsum mihi praebens. Postea autem cum aëroplanum surgeret solum plane relinquens, tandem paulum se vertit meque animadvertens modeste salutem dixit. Tum resalutans eam interrogare ausus sum, nonne sibi videremur alter alterum prius aliquando, multo quidem ante, vidisse. Domnula autem, paulum puncta (betroffen) frigide respondit: "Minime, domine mi." Attamen me a latere spectare non desiit. Tum subito, vultum fingens, tamquam reminisceretur, dixit: "Cum diligentius te specto, mihi venit in mentem me vidisse te Deniae, in oppido illo Hispaniae, in litore

ambulantem. Immo vero recordor iam tum in illo oppido suspicionem venisse te mihi alicunde non esse ignotum, sed ubi te prius viderim, ignoro." Laetabar, quod mei aliquo modo reminisceretur et, quod sperabam, colloquium nostrum de cottidianis rebus ortum, de Denia autem nihil ultra, continuavimus usque ad destinatum locum, oppidum Sotschi, sine ulla appropinquatione ulteriore, et in aëroportu Sotschi nos valere iussimus polite.

Ad cenam autem in deversorio, ad quod deversus eram, magnopere mirabar domnulam illam quoque adesse inter convivas. Erant in cenatione (Speisesaal) quattuor ordines longi mensarum, cuncti a convivis capti, et in quarto ordine domnulam conspexi sedentem. Illa me nondum animadverterat, sed ego surrexi ad abacum (Büffet) iturus catillum (Teller) meum manu tenens, ut cibum mihi eligerem. Praeterii nimirum sedem domulae, constiti, salutavi et fingens me esse miratum dixi: "Quem casum pulchrum!" Illa quoque resalutavit laeta et comiter. Tum ad abacum ii cibum haustum, et catillo meo expleto ad mensam meam regressus sum. Cenabam continuo domnulam cogitans, cum de improvviso ad mensam meam advenisset mihi que in aurem susurraret: "Exspecta me ad portam posteriorem sub horam decimam!"

Exspectavi diu, hora decima iam praeterierat. Cum autem iam desperarem illam fidem praestituram et adventuram esse, tandem audivi portam stridentem iamque domnula prope me stetit, vestimento festivo ornata, amice loquens: "Veni mecum ambulatum in horto! Multa habeo, quae tecum loquar." Laetissimus istis verbis eam secutus sum in vastum hortum, qui illo tempore erat paene desertus. Non ita multo post scamnum (Bank) invenimus fruticibus occultum. Consedimus et colloquebamur amicissime neque tamen sine illo desiderio utriusque, quod incitare solet deus Amor. Paulatim audacior factus eam amplexus et osculatus sum. Cum autem ne minime se defenderet ab impetu meo, indecoro modo eam tangere ausus sum, donec moneret: "Non hic, sed veni in cubiculum meum!" Surreximus, petivimus eius cubiculum ibique totam noctem mansimus amoris ritu coniuncti. Albente caelo cum cubiculum iam satis illustratum esset, interrogavi: "Nunc tandem dic mihi, ubinam putes nos unum alterum aliquando vidisse, antquam Deniae et antequam in aëroplano conveniremus. Namque id est, quod te putare affirmasti." Tum illa:

"Ignoro, ubi fuerit, at virum et feminam, si tam bene et tam intime quam nos coniunguntur, mihi persuasum est eos iam convenisse in vita anteriore, in vita scilicet, quae hanc vitam terrestrem praecessit." - "Mehercle, rem satis miram dicis", respondi, sed clam dictum eius me terruit ita, ut deus Amor me statim desereret. Tamen addidi nonnullas blanditias dicens quoque: "Spero nos conventuros sub vesperum in cenatione, vale, deliciae meae!" Tum cubiculum eius reliqui valde miratus, qualis homo essem, qui identidem in mulieres tam singulares tamque mysticas inciderem.

Emanuel Bernard



De pastorum hospitio

Personae

Sextus Pomponius, civis Romanus

Davus, Sexti servus

Sibylla anus

Caupo primus

Caupo secundus

Copa

Pastor vetus

Puer

Viatorum et pastorum chorus

* * * * *

Romae sumus. Davus ad amicum epistolam scribit.

Davus : (scribens et legens)

Davus Gallo suo s. p.

Haud ignoro te epistulam meam vehementer exspectare. Ubi incipiam? Tanta res mirabiles animo meo se offerunt. Non ignoras dominum meum, Sextum Pomponium, gravi morbo affectum esse. Permultos medicos adierat. Persaepe ad aquas se contulerat. Nos omnes Aesculapium deum cottidie precibus nostris fatigavimus. Dominus autem e morbo non convaluit. Pes sinister ei semper dolebat. Tum, quodam die memorabili, raeda Cumas profecti sumus ad Sibyllam, Apollinis sacerdotem, consulendam.

Scaena I

Personae: Sibylla Cumaea, Sextus Pomponius, Davus Sumus Cumis.

- Sextus : O Sibylla divina, te oro et imploro, ut mihi consulas. E pede sinistro valde laboro. Negotia mea vix agere possum. Medici doctissimi sanare me nequeunt. Dic mihi, quaeso, quem ad deum, quem ad hominem adeam!
- Sibylla: O homuncule, qui vexaris mortalium laboribus, scito nos esse initio novi saeculi. Non deorum ope, non Romae, non in Italia morbo tuo liberaberis. Proficiscere in Iudaeam! Prope civitatem David, quae vocatur Bethlehem, invenies infantem divinum modo natum in praesepio positum. Qui sane erit mundi salvator. Erit quoque salvator tuus.
- Davus : O domine, proficiscamur quam celerrime in Iudaeam infantem illum quaesitum!
- Sextus : Viae labores quidem timeo, magno salutis desiderio autem teneor. Persaepe vates nostri adventum pueri divini proposuerunt. Fidem eis et Sibyllae habeo (exeunt).
- Davus : (epistulam scribens et legens)
Prima luce postridie, ego et dominus in viam nos dedimus. Iter longum terra marique fecimus. Tum advenimus ad civitatem Bethlehem. Rotae raedae nostrae viis malis fractae erant. Dominus meus iter difficile fecit pedem sinistrum semper trahens. In civitate autem pessime accipimur.

Scaena II

Personae: Sextus Pomponius, Davus, Caupones, Puer, Viatores Sumus in civitate Bethlehem.

- Sextus : Heu me miserum! Itinere et doloribus confectus sum. In extremis rebus sumus.
- Davus : Noli spem dimittere, domine. Cauponae hic non desunt. Liberaliter excipiemur.

Viatorum chorus praeteriens:

Nox iam appetit.
Iussu imperatoris Romani
ad civitatem hanc pervenimus,
ut describeremur.
Nobis autem locus in deversorio non est.
Extra moenia sub divo frigido
noctem agere debemus.

- Davus : Bono animo sis, domine. Nos enim laute hic excipiemur, cum crumina tua plena sit.
(ad cauponem primum) Heus, heus, caupo, aperi domum! Petimus unius noctis hospitium. Dominus meus vir dives Romanus est.
- Caupo I: Peregrinos non accipio. Inprimis Romani mihi odio sunt. Sunt enim domini crudelissimi. Omnes populos gentesque subigunt. Abite hinc ad vestros!
- Davus : Stultus es, caupo, et animo duro. Di te perdant!
(ad Sextum) Noli desperare, optime, alio loco hospitium nobis parabitur.
(ad cauponem secundum) He, caupo, he bone vir, duos lectulos et aliquid cibi a te petimus.
- Caupo : Domus mea viatorum plena est. Hospitium vobis dare nequeo. Alias quaerite!
- Sextus : Fortuna nobis sane non favet. Ecce autem tertiam cauponam! Fortasse ibi hospitium nobis parabitur.
- Davus : Video mulierculam haud ingratham. (ad copam) He, copa, mulier omnium pulcherrima. Miserere laborum nostrorum! Aegri et fessi sumus.
- Copa : Ego quoque misera sum, optimi. Domus mea deversorium non iam est. Est vero stabulum mu-

lis, equis, viatoribus impletum. Vos accipere non possum.

Puer : (qui in viae angulo omnia audivit) Salvete domini! Me miseret malae fortunae vestrae. Ad casam nostram vos libenter ducam. Sumus autem pastores victu tenuissimo.

Sextus : O puer, quod numen te adducit? Libentissime te sequemur.

Davus : Vitam nostram vero a te habemus, optime. Gratias tibi agimus maximas.

Puer : Sequimini me, domini, nobis grati et accepti eritis! (exeunt).

* * * * *

Davus : (semper epistolam legens)
Et puer ille nos e moenibus educit. Ducit nos per campos agrosque. Via nobis longissima videtur. Sed, cum dominus meus vix pedibus incedere possit, puer ille eum umeris portat uti agnum aegrotum. Erat puer vi miranda, parva statura tamen. Denique ad casam pastorum pervenimus. E laboribus itineris refecti causam peregrinationis nostrae narravimus. Tum autem pastores rem incredibilem et inauditam referunt.

Scaena III

Personae: Sextus, Davus, pastores, puer
In casa pastorum sumus.

Pastores inter se loquuntur.

Pastor : Silentium, quaeso! Peregrini, audite rem prodigii similem!

Pastorum Chorus: Audite rem omnium inauditissimam!

Pastor : Compluribus diebus ante, cum nos eramus nocte in regione hac ad custodiendum gregem nostrum, subito vidimus lucem candidam et stetit iuxta nos angelus Dei.

Chorus : Et timuimus timore magno.

Pastor : Et dixit nobis angelus: Nolite timere! Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo.

Puer : Quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus dominus in civitate David.

Pastor : Et vobis hoc signum: Invenietis infantem pannis involutum et positum in praesepio.

Puer : Et subito facta est cum angelo multitudo militiae caelestis laudantium Deum et dicentium:

Chorus : Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis!

Pastor : Et nos loquebamur ad invicem:

Chorus : Transeamus usque Bethlehem et videamus hoc verbum, quod factum est, quod dominus ostendit nobis.

Puer : Et invenimus Mariam et Ioseph et infantem positum in praesepio.

Chorus : Et reversi sumus glorificantes et laudantes Deum in omnibus, quae audiveramus et videramus.

Sextus : O miraculum....vos vidistis puerum divinum, salvatorem mundi. Ego quoque me conferam quam celerime ad loca haec puerum adoratum.

Davus : Et dominus meus bene confirmabitur.

Puer : Nox iam adest. Quietem capite apud nos, optimi. Ego quidem interim infantis parentes de adventu vestro certiores faciam. (exit).

* * * * *

Davus : (legens) Et puer iam abest. Nos autem in multam noctem reditum eius exspectamus. Ad lucem modo puer revertitur et nuntio malo nos excitat.

Scaena IV

Sumus semper in pastorum casa.

Puer : (accurrens) Cursu exanimatus sum. Quaesivi infantem divinum, stabulum autem desertum erat. Magno metu incitatus in civitate percontatus sum, quid accidisset. Comperi haec: Herodes rex, praedicto commotus, omnes pueros, qui essent in civitate David, a bimatu et infra, occidi iussit. Parentes infantis autem, miro modo moniti, cum puero fugae se dare potuerunt. Viae civitatis nunc plenae sunt ululatu fletuque parentum miserorum.

Chorus : Deploramus pueros crudeliter necatos, gaudemus autem infantem divinum servatum esse.

Sextus : Ego autem omnem spem ad clementiam infantis contuli. Ubi nunc salutem petam?

Davus : Nullumne signum nobis a puero relictum est?

Puer : Prope praeseptum inveni baculum hoc, quod erat Ioseph. Fortasse celeritate fugae ibi relictum est, fortasse vero futura significat.

Sextus : Da mihi baculum hoc, puer! Me adiuvabit in reditu domum.

Puer : Tene baculum, peregrine, ut tibi auxilio sit in omne tempus.

Sextus : (baculum tenens) Pes mihi iam minus dolet. Melius incedere possum. Ad vitam recreari videor. Prima luce cum Davo Romam proficiscar. Baculo hoc nisus iam nihil timeo. Nam signum infantis divini mihi ostentatum est.

* * * * *

Davus : (legens) Et Dominus mecum Romam reversus est. Iter faciens in dies magis convaluit. Nunc optima valetudine utitur. Nos omnes puero divino cottidie gratiam meritam referimus. Dominus autem semper sperat se aliquando visurum esse infantem divinum.

Chorus : Videntes autem cognovimus de verbo, quod dictum erat de puero hoc.

F i n i s

Barbara Maier




SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich



Nomen emittentis et inscriptio cursualis:


AZ

8050 Zürich

5+6/90

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCM XC



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o D. Weissmann
Tellstasse 30
3014 Bern

TOMVS 13

FASC.85